

constituta fuerunt, teste CHILPERICO rege, in diplomate ecclesiae Tornacensi dato, CAROLVS M. certe iuvandis commerciis admodum studuit, & ut quam maxime florent, omnem operam industriamque impendit. Telonia vero pluribus locis solvenda fuisse, leges, quas hac de re promulgavit, testantur. Sed hæc tamen neutiquam impediverunt, quo minus quisque quacunque via iter facere posset. Vectigalia enim iis temporibus non, nisi in refectio- nem pontium, aut pro trajectu, solvebantur. Testis hujus rei satis locuples est CAROLVS M. imperator, & rex Fran- corum, qui quidem, de causis vectigalium disponens, ita pro- nunciat: *ut nemo cogatur ad pontem ire, ad fluvium transeun- dum, propter telonei causas, quando ille in alio loco compendio- sius illud flumen transire potest. Similiter & in plano campo, ubi nec pons, nec trajectus est, ibi omni modo præcipimus, ut non teloneum exigatur.* Vid. BALVZIVS in capitul. reg. Fran- cor. T. I. c. 54. p. 764. Vides exinde, CAROLVM M. in ve- ctigalibus exigendis nihil aliud egisse, quam ut fisco, pro- pter impensas, in pontes faciendas, indemnitas præstaretur; at, ut opes inde colligeret, ne in mentem quidem illi ve- nisse. Id quod luculentius apparet ex capitulari ejusdem CAROLI M. 15. de anno 805. apud BALVZ. T. I. p. 432. ubi ita loquitur: *nova vero telonea, sive injusta, ubi vel funes ten- duntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, in quibus nul- lum adiutorium iterantibus præstatur, ut non exigantur.* Id tamen negari non potest, aliqua restrictæ peregrinantium, inprimis autem mercatorum, in via eligenda libertatis ve- stigia iis jam temporibus observari. Videmus enim ex ca- pitulari CAROLI M., quod extat apud BALVZIVM capit. reg. Francor. T. I. p. 425. mercatores Avaros & Sclavos cer- tis limitibus circumscriptos, atque obstrictos fuisse, ut mer- ces suas in certis saltem locis, in capitulari dicto designatis, exponerent. Verba imperatoris ita se habent: *de negotia- toribus, qui partibus Sclavorum & Avarorum pergunt, quous-*

B

que